



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1351 usque ad annum 1414

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118278**

§. 9. Wiclessi propositiones.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66293](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66293)

Sæcul. XIV. A. C. 1382. episcopi tam crudeliter occisi Cantuarienses Monachi Rege consentiente cooptarunt Guilielmum Curtiniacensem Londini Episcopum, cui Papa Urbanus ignarus rei sub idem tempus diploma collati archiepiscopatus misit.

*God. p. 172.* Guilielmus Hugonis Curtiniacensis Deniæ Comitis filius, cum a juventute sua Juri utrique strenuam navasset operam, acceptis sacris Ordinibus inter alia beneficia pingua trium Ecclesiarum cathedralium Exoniæ, Heliæ, ac Eboraci Canonicus, anno 1360 consecratus Episcopus Herefordiensis, post annos quinque ac dimidium Londini Simoni Sudburino successerat. Romanum diploma Cantuariæ promulgatum est 9 Januarii anno 1381, nempe 1382 ante Pascha.

## §. IX.

*Wicleffi propositiones.*

*Valsing.*  
*p. 283.*

*Rayn. n. 29.*

*Propos. 1.*

Eodem anno sub diem S. Joannis ante portam Latinam, nempe in principio Maji Rex Richardus Londini senatum habuit: unde Wicleffus capiebat ansam ad præsentibus ibi Procères mittendi sequentes octo propositiones, quasi ad regnum conservandum necessarias. Rex, aut regnum nulli parere Præsuli debet; nisi quatenus id volunt Divinæ litteræ: alioqui Christo præponeretur antichristus. Nec

Nec Romam, nec Avenionem, nec aliam ad Curiam extraneam mittenda est pecunia; nisi hæc obligatio demonstratur e Codice Divino: alioquin illius exactores sunt lupi rapaces, qui suis ex fructibus cognoscuntur. Neque Cardinalium quisquam, neque ullus alius ex beneficiis Angliæ percipere fructum debet aliquem, si non ibi resideat, vel pro regno utiliter occupatus videatur Proceribus: alioquin illius reditus fraudi sunt pauperibus indigenis, quibus nullam æqualis pretii rem tribuit. Rex debet proditores regni evertere, ac sibi subjectos tutari a crudelibus ipsorum inimicis; per quos intelligebat oppugnatores suorum dogmatum. Vulgus non debet premi tributorum magnitudine, donec exhaustum fuerit Ecclesiarum patrimonium, quod est bonum pauperum, & horum solatio impendi decet: ita redibit Clerus ad perfectionem primitivæ paupertatis suæ. Quando Episcopus, vel Parochus manifesto in Dei contemptum incidit; Rex non tantum potest, sed etiam tenetur ejus bona fisco addicere. Rex non debet Episcopo, aut Parocho ad functionem profanam uti: alioquin uterque proditor Christi foret. Rex neminem illorum, qui longo tempore mansere proscripti, mandare carceri debet: nisi ex lege Divina delicti convincatur homo se absolvendum diu non curans.

Sæcul. XIV.  
A. C. 1382.

Matth. 7. 16.

3.

4.

5.

6.

7.

8.

Sæcul. XIV.

A. C. 1382.

*Valsing.*

p. 283. 284.

Eodem tempore Wicleffus edidit alias propositiones damnandas, præsertim contra veram Christi præsentiam in Sacramento altaris: misitque discipulos, qui hos errores spargerent. Nec impedire id poterant Parochi: cum illum defenderet populus; cujus odium in Clerum fovebat. Quo circa, cum ei suus Episcopus, nempe Lindensis conciones interdiceret, ac emendare vellet hominem, populi furor Præfuli tantum incussit metum, ut nihil exequi auderet.

§. X.

*Londinense concilium.*

At novus Cantuariæ Archiepiscopus Guilielmus Curtiniacensis, ut rebus tam indignis obsisteret, Londini habuit concilium, cui aderant cum ipso septem Episcopi, multi e cœnobiis quatuor Ordinum Mendicantium acciti Theologiæ Doctores, ac prima donati laurea, nec pauci sæculares Jurium Doctores. Archiepiscopus primum eos die Mercurii ante Pentecosten 17 Maji anno 1382 in conclave prioratus Dominicanorum convocaverat. Legebantur ibi palam plurimæ propositiones, quæ dicebantur hæreticæ aut falsæ: & Doctores cum Candidatis supremæ laureæ, quid sentirent, optima fide dicere jussi. Cum deliberassent, eundem

*Conc. to. II.*  
p. 2052.